



De *CHILPANXOCHITL*, seu flore
signi instar pendenti Mortuorum
medicina. Cap. L I.

CHILPANXOCHITL, ab alijs *Micaxochitl*, seu Mortuorum medicina nuncupata, herba est, folia Salicis ferens, angustiora tamen, & tenuiora. caules cubitales. flores coccineos in postremis caulibus, qui rubri quoque sunt, calyculorum forma, aut signa, ut dictum est, referentes. radicem verò parvam, fibris candidis, & teretibus plenam. Radix est nonnihil amara, & tamen frigida esse naturæ experimento compertum est: febrim etiam extinguere ex aqua opportunè potam drachmarum trium, aut plurium, si opus est, pondere, inflammationes mammarum auertere, & epilepticis opitulari illitam, vnde secundum nomen.



De *ELOQVILTIC* herba Geniculata. Cap. LII.

ELOQVILTIC, quam alij *Tlancuaye*, seu herbam geniculatam, alij *Xoililitezi*, seu nigros pedes appellant, folia Bliti profert. caules sarmentosos, & nodis per intervalla diuisos, partimq; purpureos. florem, semenq; rubeum, atque minurum, in conorum modum, veluti ex Blito dependentia. radices verò surculosas, & rubrescentes. Regionum temperatarum alumna est, qualis est *Xochimilcensis*, & *Texcoquensis*, in montibusq; incola. Sapor est nonnihil amarus, sed temperies cum humore frigida. lac viciatum nimij caloris causa emendat, febrim extinguit, & sudorem vocat, pota illitavè. pleuritidi medetur, & opitulatur tussi. Ius decocti eius, cui Bolus Armena fuerit permixta

confert pleuritidi, quam *Maslatoto*, Mexicanes vocant. lenit aluum, & ineditur satietati.

De



De *TEPEHOILA CAPITXOCHITL*,
seu Hoila capitxochitl Saxiuoluula.
Cap. LIII.

VOLVBILIS genus est *Tepehoila capitxochitl*, quod alij *Tzic Micapaltis* nuncupant, saxis se conuoluens. folia sunt Hederae. radix succo manat. Duo sunt eius genera eadem facultate prædita, sed primum, ut diximus, habet folia Hederae, Vrticavè similia, serrata; secundum verò scutorum potius undulatorum forma. Nascitur vtraque apud Mexicenses agros. frigidaque, & humentis est temperiei, quamvis nonnullam amaritudinem participare videatur, partesq; natura dissimiles. Vtuntur ea Indi aduersus calorem, & ad tumores præter naturam repellendos. necnon ad compescendum sanguinem qui è vulneribus fluit, & curandos oculos inflammatione tentatos. præcipuè si misceatur *Toloztzin*.

De *AHOATON*, sine Quercu parua.
Cap. LIV.



AHOATON, seu Quercus parua, quam alij *Tlalcapolin*, seu *Capolin humilem* vocant, herba est, folia ferens Origanis, serrata, Chamædriosvè, aut Ilicis, minora tamen, vnde nomen, quæ inferna parte dilutiore virore nitent, supra verò exaturatiore. stipites rubrescentes, è radice longa, & fibrata, fulua, ac mediocris crassitudinis. flores coccineos, paruos, & longiusculos. acinos primò virides, mox rubeos, ac demum nigri coloris, nucleos fuluos continentes. Radix sapore est adstringenti, & aliquantisper amaro, non sine quadam dulcedine, odore nullo, frigidaque, & exiccanti natura. quæ si vnciarum trium mensura coquatur, è tribus libris aquæ fontanæ ad tertias, & ius decocti potandum propinetur, vice potus, enixas corroborat, dysenterias compescit, laxatas renum partes confirmat, & acoporum medicamentorum more, labores sedat eorum qui lassitudinem ex longo itinere, cursu, lucta, aut quavis alia simili occasione contraxerunt. Temperatas amat regiones, qualis est *Tenuchitlana*, frigidaque, & saxosa loca, atque montosa.

De

De OLCACATZ AN PAHVATLANICA China Mexicana.

Cap. LV.




Differt ab Orientali.

li China, cuius radix leuior est, rarior, albidior, tenera, ac minus adstringens, & tamen eisdem pene vsus præstare periclitatum est, quos illa, Guaiacum, aut Zarzaparilla præstare solent, eadem arte & victus ratione administrata. Quæ de re ijs, quæ à multis ante me scripta fuere, ac pro diuersis regionibus, morbis, ac hominum temperaturis variabilia, nihil hic putavi adijciendum. Est autem hæc de qua loquimur radix, frigida siccaque, & adstringentis naturæ, sed amara, partiumque subtilium particeps. quò fit, vt ius decocti eius, præter iam dicta, ventriculum debilem corroboret, flatum discutiat, absumatque, & vacuet per poros eam atræ bilis, & pituitæ portionem, quæ pharmacorum refugit vim, dolores extirpet, ac leniat, aliaque præstet iuuamenta, quæ in prædictas plantas solent referri. Nascitur Pahuatlanticis agris sponte, vnde cognomen.

De China Orientali, eiusque vsu in lue venerea, morbisque alijs, multus est Garzias cap. 38. lib. 1. historia aromatum. & Acosta cap. 29.

De Occidentali verò scribit Monardes cap. 21.

Ex hac descriptione patet, Chinam hanc esse ex speciebus Smilacis asperæ, adeoque eodem genere Sarzæ parilla. vnde mirum non est, easdem serè utriusque vires ab omnibus attribui, quas apud eos inuenies qui de morbo venereo multos libros conscripserunt.



De CHINA MICHUACANENSI
Phaco. Cap. LVI.

EST quaedam Chinae species, quam à loco natali *Michuacanensem* vocant. quae herba est arundinaceae innitens radici, rubraeque, sed densa, ac graui. è qua caules insurgunt arundinei, laeues, ac ferulacei, longi, pollicemque crassi, folijs ornati per intervalla magnis, cordis figura, ac nervis, secundum longitudinem discurrentibus. quod euenit in caeteris, quibus etiam viribus, & haec similis est. Nascitur *Michuacani*, vbi *Phaco* vocant.



De COZOLMECATL, seu Curarum fume China III. Mex. medicina admirabili. Cap. LVII.

COZOLMECATL, quam alij *Ocatatan* vocant, ad Chinae Mexicanae species videtur attingere. radice, enim crassa constat, obrotunda, rubra, graui, & fibrata. vnde profert caules iuxta radicem rubeos, geniculis interceptos, tenues, refertos capreolis, volubiles, & arbores propinquas in cacumina usque scandentes. folia obrotunda, mediocri magnitudinis, & venis secundum longitudinem ternis discurrentibus. fructumque Myrti refertum semine. Prouenit in oppidis Ioannis Conchensis, calidis nempe regionibus, *Mecatlanique*, editis humilibusque locis, necnon *Totonacape*. vbi aiunt, duas esse huius volubilis species. alteram, quam descripsimus, fructiferam & saluberrimam, è cuius stipitibus parantur scipiones pulcherrimi, lineis nempe fuluis, & nigris vicissim variati. alteram fructu ca-



rentem, quae potius pertinet ad venena. Mira audio, de hac quam delineauimus planta narrari, etiam ab ijs qui eius vsi sint remedijs. sanguinolentos nempe oculos breui illustrari, ac pristino restitui nitore, apposito tamen folio. viceribus

Cozolme-
catl fructi-
fera.

Cozolme-
catl steri-
lis.

Vires.

ribus oris mederi, pudendorumque Gallica etiam lue infectis, radices puluerem carhēin supererectentem absumere, & decentem restituere. ad temperiem spectare, & tamen occulta quadam vi, calidis ac frigidis aduersari affectibus. Nec solum admotam, sed deuoratam quoque conferre, siue folia siue radix ipsa referatur in vsum. esseque qualibet mensura, ac pondere, innocentem. vires augere, ac firmare, sarcireq; exhaustas, & defectas, vel solum attritatas. & calorem seminextinctum ita reparare, atque emorientes etiam homines reuocare in hanc lucem: admota folia dentium dolores, capitis, articulorum, & cæterarum corporis partium, veluti per miraculum lenire. & his dolenti loco adhaerentibus certissimam salutis haberi posse spem. adherent enim cum sedandus est dolor, aliter statim irrita cadunt. venerem mirè excitare. iuuareq; capiti impostam, conciliare somnum. & deuoratam ex vino cholice mederi, flatum discutere, aduersari venenis, cor roborare, & adesse coctioni. veneris vsu nimio exhaustos, ei incubantes magnopere vires resumere. febres tollere, & firmare gingiuas. Denique vix est morbus aliquis in tam varia, numerosaq; illorum silua, cui neget opem ferre. imò vel hac sola planta inuenta, atque nostri Orbis viris declarata, non fuisse irritos regios conatus affirmant, aut frustra adhibitos insumptus, & historicorum labores. quæ omnia, tempora quæ nos sequentur, rerumque exacta peritia, firmabunt & facient manifesta.

De TLATLAYOTIC, seu Numularia Indica. Cap. LVIII.



HERBA est Tlatlayotic, folia ferens parua, & orbicularia, Numularia vocata, aut Veronica femine similia, bina, ordine vtrimque disposita. caules volubiles, tenues, & duos dodrantes longos. & fructum edulem, Cucurbitæ similem, vnde nomen. radicem verò prolixam, ac ferè toto discursu crassitudinis æqualis. Nascitur locis campestribus. Radix est glutinosa, lacte manans. & quamquam aliquantulam participet amaritudinem, vincere tamen ea videtur cum siccitate frigiditas. bibitur contra febrium ardorem. atque dyarrhæas, & dysenterias compefcit. medetur singultui, vrinam euocat, & contractos neruos laxat. medetur vlcerebus, & oris ampullis. si vrina euocanda sit, adiungitur Cacaoatl duarum drachmarum mensura; si verò coarctanda alius, idem Cacaoatl, sed coctum pariter deuoratur.

De TOÇANCVIT LAXCOLLI, seu Intestinis Tuca Talpene Indica. Cap. LIX.



RADICIBVS innitur Toçancvit Laxcolli herba, intestinorum instar conglobatis, vnde euenit illi nomen. à quibus fundit caules, & in eis folia Origani, sed asperiora, ac circinata. & circa caulium partes summas coccineos flores, calyculis similes. Nascitur humilibus, & montosis locis regionum frigidarum, veluti Chalcoatepeci & Xochimulci. Vulgaris herba est, & cunctis nota, tum ob adstringendi efficaces vires, tum ob formam radicum raram, & quæ paucis plantis contingat. Radix est frigida, & adstringens, nonnihilque amara. ventriculum roborat, & eius calorem temperat, si sex drachmarum pondere læuigata deuoretur ex aqua. medetur vlcerebus putridis, & cancrofis. impingat rabidos. & enixis ab Indis Medicis corroborationis gratia solet exhiberi. fluxum alui, dysenteriasque, vncie vnus pondere deuorata, coercet.

Folia ex luteo rubescunt. flores etiam ex rubedine in luteum tendunt, Digitali ferè similes, à petrolo rubeo dependentes transuersim. Stamina florum rubra sunt.



De CHICALLOTL, seu spina. Papauere spinoso. Cap. LX.

CHICALLOTL, quam alij Chicallotl vocant, herba est spinosa, proferens folia Cardui benedicti, longa, angusta, sinuosa, ac spinifera, cinereiq; coloris. caules subalbidos, & spinosos. flores orbiculares, luteos, ac interdum candentes, Papaueris haud dissimiles. fructum oblongum, striatū, asperumque, referunt nigro ac paruo semine. Nascitur Mexicano agro, nec vlla refugit loca, montana aut campestria. semen tritum, & duarum drachmarum pondere deuoratum, humores omnes, sed præcipuè pituitosos, & articulos infestantes, vacuat. saporem, & odorem Siferis videtur referre. lac oculis infusum cum lacte mulieris, quæ scemellam peperit, inflammationes eorum, sedat.

sedat. aduersatur febrium typis. flos verò scabiem curat appositus. amarus est eius herbæ sapor. calidaque, & sicca temperies. aiunt alij, liquorem stillatitium eius, ac germinum *Mizquitl*, nubes oculorum discutere, carnem superuacaneam excedere, dolorem ex hemicranca ortum sedare, alijs eorundem huiusmodi morbis egregiè subuenire.

Papauer hoc spinosum, etiam Europa iam innotuit, & à quibusdam Figo d'inferno vocatur. quamuis hoc nomen potius Ricinis attribui debeat.

Primus hanc plantam descripsit, & depinxit celeberrimus *Ferdinandus Imperator Pharmacopæus Neapolitanus* in opere suo Italico, quo multarum rerum historiam tractat elegantissime. sed à nostro *Authore mutuatus*, cum quo magna illi familiaritas fuit. Eandem etià in *Phytopinace* suo descripsit *Gaspar Bauhinus*. hunc secutus est *Clusius*, qui eandem diligentissimè, ut omnia sua, depictà proposuit, & enarrauit lib. 5. cap. 7. rarior.

Hanc ego prosperè enatam & eleganter florentem conspexi in horto rarioribus plantis ornato *Uluirisi*. & Excellentiss. *Lyncæorum Principis* & *Institutoris Friderici Casii* primi ex antiquissima Familia sua *Oppidi S. Angeli Principis*, cuius Heroicis auspicijs, & magnificis impensis opus hoc prælo subijcitur, cuiusq; inssu hæc ego in ordinem meliorem digessi & scholijs illustraui, admitente *Cl. Ioanne Fabro Lynceo Bambergensi Simpliciariorum Pontificio*, in cuius ædibus hæc excarata fuerunt.

Cum hæc planta sit admodum similis nostro *Papaueri*, vires tamen habeat, ut multi putant contrarias, suspitionem alicui iniicere posset, etiam nostrum *Papauer* non esse adeo frigidum, præsertim cum etiam coniunctam sibi habeat amaritudinem. Nam ubi in eodem genere, & in iisdem partibus saporibus sunt ijdem ibi & virtutes non multum differre arbitror.

De *QUAVHXOCOTL CVLLVLENSI Oxymalua*. Cap. LXI.



HERBA est *Quavhxocotl*, folia minutim ferrata ferens, & ternis magna ex parte sinibus diuisa. caules genicularos, sesquidodrantem prolixos. radicem verò Napi forma ex albo rubrescentem, teneram, ac plenam succo. Prouenit in humidis locis provincie *Chullulensis*. Radix est amara, subacidaque. folium acidum, & edule adeo, ut ipsæ species *Xoxocoyollin*, quas nostri *Oxalidas* vocant, videatur ea herba referenda. fructus verò orbicularis, & acinosus, nec vocatis *Tomame* dissimilis. Radix duarum drachmarum ponderetusa, ac deuorata, ventriculorum, & intestina leuiter purgat, atque eorum membrorum grauitatem pellit. eadem exhibetur infantibus, sed vnus tantum drachmæ mensura, matutino tempore, nullo prius assumpto cibo.

Folia Alceæ Americane similia sunt, sed cum obscura rubedine, ut & pediculi eorum.

De *CAQVIZTLI*. Cap. LXII.

CAQVIZTLI herba est folia *Ocymi*, minora tamen, & illis *Origani* proxima, minimèq; ferrata, bina per interualla ordine disposita, fundens caules quadratos, rectosque flores *Cyancos*, longiusculos, ternosq; ex utraque parte caulis, binis foliis circumdatos. radices verò fibris similes, ac rubeas. Nascitur *Mexicanis iugis*. amara est, acris, calidæque & sicca, ferè ordine tertio temperici. Folia contusa, & resoluta ex aqua, scabiei dicuntur mederi, si corpori illiniantur. Ius verò decocti eorundem, sudores bibitum elicit. quin ij, qui sanguinem meiunt, è vestigio restitui sanitati dicuntur, si vaporem vini *Meil*, (quod album *Pulque* vocant) cui herba hæc incocta sit, excipiant. modo à suffutibus cubitum eant, pannis se contegant, ac sudori studeant eliciendo.

De *AMAMAXTLA* expurgante, seu *Rhabbarbaro* vocato *Monachorum*.

Cap. LXIII.

RADIX huius plantæ adeo sapore, & odore, & colore, substantia, & viribus radicem veri *Rhabbarbari* repræsentat, imitaturque, ut nisi folijs ab illo distaret, quæ desinunt in acumen, (nam illa ex angusta origine in latius finire cernuntur) verum *Rhabbarbarum Alexandrinum* à nullo, qui utramque plantam expendisset, non iudicaretur. quamobrem hortense *Hypopolathum* congener esse vero *Rhabbarbaro* censemus, posseq; in eius penuria substitui, ac paræs penè vices præstare. bilem enim benignè, & cū quadam roboratione, quæ à crassioribus, & adstringentibus accidit partibus, præcipuè vacuat felici successu, quemadmodum nos sumus apud *Hispanos* periclitati ante hos triginta plus minusve annos, & *Mexici*, ubi maximus est eius prouentus diligentia *Bernardini Castilij*, cuius optimis manibus hic honos deberetur: viri, dum iuuenis esset, in propugnandis hostibus dexterrimi, atque animosi, à primo verò senio, vsque ad obitum, & postremos halitus, in feminandis atque excolendis quibusque raris, & peregrinis plantis diligentissimi. Quoniam verò partibus constar subtilioribus, quæ sunt expurgantes, alijs verò crassis, atque adstringentibus, consuevere ijdem, succo expresso, veluti expurgante pharmaco, sesquidrachmæ pondere uti. ficibus autem eadem mensura, veluti aluum adstringenti medicina. quod si cum totalitate sua exhibere arriserit duarum drachmarum portionem, ab his qui non difficile soluuntur, bilis aiunt quod satis sit expurgari. cuius rei nos certissima fecimus experimenta. Miscetur interdum vnica drachma succi, vnicijs duabus electuarij è *Cassia nigra* fistulis confecti, atque ita bilè primò, & maximè, secundariò pituitam expurgat. Quibusuis locis prouenit excultum, sed maximè calidioribus, qualis est *Quavhnahuacèsis* humectò & fertili solo, post quaternos à satù annos. Radix est medicinæ vtilis. colligenda verò incunte vere, mundanda, secanda in frustra, quæ boletos vocant, qua magnitudine illa, *Rhabbarbari vulgaris* ad nos consueuerunt deferri ab Oriente, super asseres collocanda, ac sæpe sæpius quotidie, (ne succus, quo abundat, effluat) euertenda. quatrìduo tranfacto, filo traiciuntur firmiore, ac suspendentur ad vmbra locis apertis, sed quos radii solis non attingant. namque ita duorum mensuram interuallo siccati abundè solent, demumque recondi, & feruari. Hæc mihi de

T

Rhabbar-

Rhabarbaro Monachorum vocato dicta sunt. non quod nesciam apud Hispanos quoque hanc plantam aliquot oppidis non admodum à Mantua Carpentaria distantibus aliquando fuisse excultam, sed quoniam in hac noua Hispania, apud *Quaubnahuacenses* in horto prædicti viri vberimus est eius prouentus: vbi patrijs plantis, vel eo maxime opus est, quod medicameta externa, hunc in Orbem per tot maria translata, emarcida vitataque tandem accedant: & vt Hispani meminere, apud eos, si cura adsit, quantalibet copia prouenturum, ac in optimi Rhabarbari penuria, permittentibus consensuque medicis, suffici pro eo sæpenu-mero non incommodè posse. Cæterum fabulæ, quas quidam inculcant, vt persuadeant, Rhabarbarum hoc Monachorum vocatum, esse Alexandrinum, dicentes, Turcas (cum illis per Henricum Gallia Regem Marsilia portu, & vrbe potiri licuisset) Gallis quibusdam Monachis semen impertitos veri Rhabarbari, vnde nomen defluxit, atque inde deuectum ad Hispanias, & has Indias, nuz sunt, quibus sit omnino deneganda fides.

Vide Monardem apud Clusium folio 312. Qui Rhabarbarum Americum indicat adeo cum Orientali conuenire, vt si non sit idem, saltem aliam esse speciem parum differentem.

De *TXTOMIO*, seu lanuginosa herba. Cap. LXIV.

YXTOMIO XIHVITL, quam alij *Tomoxihuitl*, alij *Memeam*, alij *Quapopolon*, & *Quapopolzin* vocant, herba est, folia ferens hirsuta, spinosa, undulata, & Anchusæ proxima. caule pallidum, duos cubitos longum, flores candentes, paruos, calyculis contentos, & in pappos tandem abeuntes.

QUAPOPOL.



radices verò multas fibris similes. Nascitur in vallibus, planisque locis regionum frigidarum, & in annuos vsus vullâ radix seruatur, atque reconditur. radices duarum drachmarum pondere deuorata, omnes humores concitato vomitu vacuare dicuntur. calida enim siccaque natura constant, & sapore aliquantulum amaro. tussim deuorata sedant. & pectoris opitulantur morbis. renes, & vesicam abstergunt. vlceribus putridis pudendorum, muliebrium & virilium succurrunt. curant hæmorrhoides. & vacuata prius supernè defluxionis causa, dicuntur quoque mederi diarrhœis.

Quam hic exhibemus Quapopol imaginem, ei ab Authore descripta affinem videtur plantam representare. cuius caules purpurei sunt coloris, folia ex aduerso bina sita. & ex quavis alij exit pediculus, cui multi stiloculi Echio similes, quasi Umbella insident.

De



De *FLALYXTOMIO*, seu *Tzomio humili*. Cap. LXV.

HERBA est *Flalyxtomio*, folia fundens Portulacæ similia, sed aliquanto maiora. caules purpureos, teretesque. flores in summo purpureos. radices verò crassas, & furculosas. quæ trita, epotæque ex aqua, duarum drachmarum mensura, pituitam per superna expurgant, emundant intestina, ac cholici affectibus infusa medentur. Amara valde sunt, calidaque, & sicca ordine tertio natura.

Ex radice transversa multa fibra exoritur, ex nigredine ad luteum tendentes. rami punctis subrubris conspersi, folia terna Crassulæ similia, cauli sine pediculo adherent. pediculus floris obscure rubet, ipse verò flos quinque foliorum rubet.

Vnde inter Crassula, vel *Semperuius* species reponenda videtur. cui etiam *Tures vermicularis* vrentis admodum sunt similes. succus enim huius epotus vomitiones ciet, & à multis in quartana felici successu vsurpatur.

De *PARADISEA* Herba. Cap. LXVI.



ITA libuit vocare hanc herbam, quod folia ferat auis, quam eodem nomine vocant, plumis similia, in hispidis, fulvisque caulibus à radicibus ortis fibrarum instar. Nascitur inter *Cocandiranum*, & *Atapanum* prouinciæ *Michuacanensis*. Amarissima est, calidaque, & sicca ordine tertio. medetur pectori, lumbricos necat, flatum discutit, curat satietatem, ac reserat obstructa.

Calyx floris cauli adherens est viridis, & punctis conspersus. flos ipse totus est luteus colore *Manuodiata*.

T 2

RERVM